



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.44. Quando liceat dispensare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæculum IX. Abbati suo Constantinopoli degenti necessaria obsequia præstarent. Ex his non nulli deprehensi in Prætorio custoditi & ex urbe proscripti.

## §. XLIV.

*Quando liceat dispensare.*

*I. ep. 36.*

Theodorus datis e carcere suo ad amicos Epistolis eorum animos contra persecutionem firmabat. Una ad Euprepianum eosque, qui cum ipso erant, dirigitur, in qua de Dispensatione differit, accusatque adversarios suos, quod tam Vetus quam Novum Testamentum oppugnent. Verba ejus sunt hujusmodi: *Lex præcipit: Non machaberis. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Eadem Lex Judæo erit & Profelyto. Evangelium prohibet, ne quis etiam videat mulierem ad concupiscendum eam, & condemnat eum, qui solvit mandatum minimum. Isti vero Oeconomiam dicunt & indulgentiam Ecclesiæ salutarem, adulterium, transgressionem maximi mandati, & assumptionem Nominis Dei in vanum, quam Sanctorum Mysteriorum Communio comitatur. Occludamus aures nostras, Fratres mei! ne horrenda blasphemia inficiamur. Quid autem afferunt ad defendendum facinus? Dicere audent, in causis Principum supremorum Evangelium secundum litteræ vigorem*

*Exod. 20.*

*13. 7.*

*12. 49.*

*Matth. 5.*

*28. 19.*



non esse accipiendum. Quare ergo scri-  
ptum est: *Judicium durissimum futurum*  
*his, qui præsunt. Et Deum Personam*  
*hominis non accipere? An Imperatori a-*  
*lia lex est, & alius Legislator quam sub-*  
*ditis ipsius? vel forte Deus est, & nul-*  
*lam legem novit? nisi omnes æqualiter*  
*Divinæ Legi submittantur, omnia sedi-*  
*tionibus & Anarchia turbabuntur. Prin-*  
*ceps adulteriis & Hæresi indulgebit, &*  
*vetitum erit subditis Principis exem-*  
*plum sequi.*

Et infra: *Ex primo Articulo secun-*  
*du facile capitur. Illos anathematiza-*  
*re, quibus conjunctio adulterina non pro-*  
*batur, quid est aliud, quam Sanctos da-*  
*mnare? nam inprimis damnatur S. Jo-*  
*annes Baptista, &, horrendum dictu!*  
*ipse Sanctorum Dominus, prohibens; ne*  
*quis cum adulteris portionem suam po-*  
*nat. Num Imperator major Angelo est,*  
*cui S. Paulus anathema dicit, si quid con-*  
*trarium Evangelio doceat. Vel credunt*  
*nos Legi Dei resistere, dum ita dictam*  
*ab ipsis æconomiam rejicimus, vel si fa-*  
*tentur, nos legem observare, se ipsos*  
*condemnant. Et rursus: Quid ad Arti-*  
*culum tertium dicemus? An qui Evan-*  
*gelio superbe adversantur, credendi sunt*  
*curare Canones? quamvis & hi afflante*  
*Spiritu Sancto editi sint, & his contem-*  
*ptis pereant omnia ad Salutem nostram*  
*neces-*

Sæculum IX.

A. C. 809.

Sap. 6. 6.

Gal. 2. 6.

Psal. 49. 18.

Gal. 1. 8.

Canonum  
Auctoritas.



Sæculum IX. *necessaria; nam si demantur Canones, nec*  
A. C. 809. *Sacerdotium, nec Sacrificium, nec alia*  
*morbidis animabus remedia suppetunt. (\*)*

*Cur vero inter Canones & Evangelium*  
 Matt. 16. 19. *Jesu Christi discrimen pono? Ipse Je-*  
*sus Christus dedit claves S. Petro cum po-*

Joan. 20. 22. *testate ligandi & solvendi, & omni-*  
*bus Apostolis potestatem remittendi &*  
*retinendi peccata. (\*\*)* Unde sequitur,

(\*) Hinc Protestantium, S. Theodoro Judice,  
 nulla est Ecclesia, quia Canones Ecclesiæ Uni-  
 versalis abrogarunt & contempserunt, alios con-  
 dendi Auctoritate destituti.

(\*\*) Eximium contra Protestantes ab Ori-  
 ente testimonium! Nunquam alias evidentius quam  
 in errore de potestate clavium Evangelici, ut  
 se ipsos vocant, ab Evangelio recedere convin-  
 cuntur. Cum enim dicant, Sacerdotibus non  
 esse collatam potestatem solvendi aut ligandi,  
 sed solummodo Officium peccatoribus denun-  
 ciandi, quod Deus eos a peccatis absolvat, ple-  
 ne Jesu Christi Verba a sensu litterali & pro-  
 prio sine ulla necessitate ad sensum alienum de-  
 torquent. Nempe hanc a Jesu Christo Eccle-  
 siæ suæ collatam Gratiam contemnunt; namque  
 in quo hodie inter Protestantes hæc Potestas  
 spiritualis resideat? In omnibus, & etiam in  
 scæminis? At hoc dicere ridiculum est. Vel in  
 aliquibus nempe in Viris Ecclesiasticis? Sed nec  
 istud probare possunt, postquam Successionem  
 Episcoporum legitime ordinatorum, unicum &  
 necessarium Jurisdictionis Ecclesiasticæ propa-  
 gandæ & conservandæ medium abjecerunt.



quod eandem potestatem dederit eorum  
 Successoribus, si modo Apostolorum vesti-  
 giis insistant. Hinc Canones S. Basilii  
 aliorumque Sanctorum Virorum eodem  
 modo ac Canones Apostolorum recepti  
 fuere, quia nihil innovantes ipsorum vesti-  
 giis inhaeserunt.

In alia Epistola ad Theophilum Ab-  
 batem data dicit: Si quæras ex me, qua-  
 re hæc tibi non dixerimus ante persecu-  
 tionem, & quare illo tempore in precibus  
 nostris mentionem de Constantinopolita-  
 nis fecerimus? Perpende, tunc Concilium  
 necdum fuisse celebratum, nec Decretum  
 conditum, nec Anathema pronunciatum.  
 Ante hæc vero tutum non erat discedere  
 penitus a prævaricantibus, sed apertam  
 illorum solum Communionem refugere.  
 Congruenti discretione tolerandi erant.

Ut materiam de Dispensatione solide  
 tractaret, Theodorus conscripsit Dissertationem,  
 in qua nihil de suo sed tantum collecta ex  
 Scriptura & Patribus testimonia proferebat.  
 Hanc Josepho Archiepiscopo germano suo misit,  
 rogans, ut examini subjiceret.

Quidam vero Episcopus nomine Athanasius,  
 forte Theodori Discipulus, (quippe eum filium  
 vocat) perlecto illo Tractatu, admiratus est  
 Doctrinam viri, sed postea mutata mente ad  
 Theodorum litteras dedit asserens, ipsius Adversarios

Sæculum IX.  
 A. C. 809.

I. ep. 39.  
 p. 322.

I. ep. 43.



Sæculum IX. rios non debere dici Hæreticos, quia  
 A. C. 809. non docerent, licitum esse committere  
 adulteria, & sacrilegos esse absolvendos.

1. Ep. 48.

p. 342.

Theodorus respondit: *Illud quidem apertis verbis non profitentur. Sed nec Gentiles dicunt, adulterium rem esse indifferentem. Nec nos dicimus Adversarios id manifeste affirmasse, sed ipsos nuptias sacrilegas, & quæ inde sequuntur, approbasse, hanc approbationem vocasse Indulgentiam salutarem, refragantibus Anathema dixisse, eosque exilio & carceribus punire. Nam in illa Mæcynosynodo sententiam pronunciarunt in hunc modum: Anathema illis, qui Dispensationes Sanctorum non recipiunt! At tunc de sacrilegis nuptiis agebatur. Ergo affirmant, hanc fornicationem Dispensationibus Sanctorum parem esse. Ergo hæc dispensationes contra leges factæ essent. At si impossibile est, ut Sancti contra leges agant, sequitur, Anathemati subjacere, qui Conjunctionem Sacrilegam damnare nolunt. Et infra:*

*An non satis profitentur, Præcepta Dei mutationi esse subjecta pro diversitate temporum & adjunctorum? Cujus erit dispensare, an solius Episcopi vel etiam Presbyteri? An in Concilio, vel extra Concilium? An dispensatio solis Imperatoribus concedenda vel etiam aliis? an in solo adulterio vel etiam in aliis flagitiis*



*gitiis dispensandum? has quaestiones novellis Evangelistis resolvendas relinquo.* Sæculum IX.  
A.C. 809.  
In eadem Epistola Theodorus illos nominat, qui illa persecutione involuti fuerant.

## §. XLV.

*Quæ Plato & Theodorus passi fuerint.*

*Quomodo dici possunt illud non docere, quod suis operibus prædicant? (\*) cur hic in carcere detineor? quare Pater meus Reclusus (nempe S. Plato) male affectus, ab omnibus ceteris avulsus, & in locum, ubi nunc degit, conjectus fuit? quare Archiepiscopus, ut ipsi saltem putant, depositus est, in arcta custodia detentus additis mandatis ut ei cibus parcissime præbeatur, & nuper e patria ejectus est in exilium? cur vos ipsi cum fratribus vestris Thessalonica custodimini? cur Abbas Theosostus cum Discipulis suis*

p. 339.

(\*) Nempe volebat S. Theodorus, ut nuptias, & factum Josephi Presbyteri, qui nuptiis benedixerat, dannarent, atque tam Fautores quam ipse faterentur, quod ex pura gratia & conniventia fuisset restitutus. Incertum an tunc saltem S. Viro satisfecissent, & certe conditionem adjecisset, ne publice Josephus Sacrificium unquam offerret.

Hist. Eccles. Tom. X.

Y y